

De M. Manilio Astronomicorum Poeta.

In edendis M. Manilii astronomicorum libris quinque, quos primus Ioannes de Regiomonte Nurembergae anno 1472 prelo subiecit, et Iosephum Scaligerum¹⁾ et Richardum Bentleium,²⁾ ut erat ille rerum astronomicarum astrologicarumque peritissimus, hic ingenii acumine ad sensum huius quoque poetae divinandum praeditus egregio, uterque autem sermonis poetarum Latinorum scientissimus, plurimum omnium Manilii editorum praestitisse inter eos qui ad eius astronomica adierunt, satis superque constat. Nihilo autem setius hi viri doctissimi permultos reliquerunt huius carminis locos, qui etiamnunc medicina egeant. Namque ut Scaliger codicum memoriae tenacissimus non semel tantum falsa evulgavit, ita Bentleius emendandi quasi titillatione interdum vexatus a poetae verbis prorsus dilucidis mirum quantum recessit. Friedericum autem Iacobum, qui novissimus Manilii carmen edidit,³⁾ falsa ductum codicum aestimatione a vera via aberrasse, eo libello demonstravimus, quem de Manilii emendandi ratione scripsimus.⁴⁾

Ac nos recte iudicasse et ei viri docti, qui dissertationem nostram sub censuram vocavere, affirmarunt et Adolfo Cramero visum est, qui unus adhuc de Manilii elocutione disseruit, neque P. Thomasium dissentientem habemus, qui Gemblacensis codicis scripturas a Iacobiano ver-

Hae dissertationes mihi praesto erant:

Fridericus Jacob, de Manilio poeta. Progr. Lubec. 1832—1836.

Carolus Lachmann, observatt. crit. Kl. Schr. z. kl. Philol. p. 42—44.

Anton, de Sideribus Augusti nataliciis quae conicienda videantur. Progr. Rossleben 1861.

Bertholdus Freier, de M. Manilii quae feruntur astronomicon aetate. Gottingae 1880.

J. Woltjer, de Manilio poeta. Progr. Groning. 1881—1882.

Adolfus Cramer, de Manili qui dicitur elocutione. Argentor. 1882 eiusdemque libellus: der Infinitiv bei Manilius (Commentatt. in hon. Guil. Studemund). Strassb. 1889.

G. Lanson, de Manilio poeta eiusque ingenio. Paris 1887.

P. Thomas, Lucubrationes Maniliana (Recueil de travaux publiés par la fac. de philos. de Gand) 1888.

Augustus Kraemer, de Manili qui fertur astronomicis; inest de imperatoribus Romanis in siderum numerum relatis disputatio. Marburgi Cattor. 1890.

1) Josephus Scaliger primum edidit Manilii astronomica Lutetiae in officina Stephani a. 1579, iterum in officina Santandreana a. 1590, tertium Lugd.-Bat. a. 1600; quarta editio curante Joh. Herm. Boedlero Argentorati a. 1655 confecta est.

2) Mirum est quod Bentleius editionem Manilii a. 1692 susceptam per decem fere lustra molitus a. demum 1739 Londini in lucem prodire iussit; et ne ipse quidem carmen publicavit, sed Richardo Bentleio fratri filio et praefandi et edendi munus imposuit. — Altera editio in usum scholarum accommodata Basileae a. 1740 excusa est.

3) M. Manilii astronomicon libri V rec. Fridericus Jacob. Berolini typis Reimeri. 1846.

4) Malvinus Bechert; de M. Manilii emendandi ratione Stud. Lips. I p. 3 sq. a. 1878.

borum contextu discrepantes nuper edidit, ea quidem usus diligentia, quae in rebus palaeographicis, quae feruntur, requiritur.

Qui autem praeter illos his annis de Manilio scripserunt, Bertholdus Freier, I. Woltjer G. Lanson, Augustus Kraemer, non tam ad verba poetae restituenda, quam ad res a poeta tractatas enarrandas et ad poetae aetatem definiendam studia collocaverunt. Quorum virorum doctorum opiniones, quae de gravissimis rebus valde discrepant, uno quasi conspectu proponere quidque ipsi de M. Manilio sentiamus proferre nobis visum est, non quo prorsus nova nos invenisse credamus, sed ut, si qui post nos studium in hunc poetam collatur sint, quid certum, quid dubium sit, faciliore fortasse opera dignoscere possint.

CAPUT I.

De astronomicorum poetae nomine.

Ac primo quidem loco de nomine poetae dicendum videtur. Male autem accedit, quod nemo veterum scriptorum mentionem eius fecit. Frustra enim Manili nomen carminis astronomici memoriam ullam apud Ovidium, Quintilianum, Plinium, Nat. Hist. scriptorem, apud grammaticos,¹⁾ qui dicuntur ecclesiasticosque quaevis frequenti occasione commemorandi oblata.

Quapropter codices Manilianos adeamus necesse est. Quorum qui ceteris, qui quidem adhuc innotuerunt, et aetate et virtute praestat, Gemblacensem (G) dico, membran. saec. X. exeuntis, qui nunc Bruxellis asservatur in Burgundionum ducum bibliotheca numero 10012 signatus, quam olim in fronte carminis habuerit inscriptionem, quae duorum versuum spatium explevisse videtur, conjectura tantum assequi possumus, cum genuinus titulus rasura adeo deletus sit, ut non nisi minutissima vestigia coloris rubri conspiciantur. Manus tamen saeculi, ut videtur, XV substituit verba *Malius poeta*. Ceteri carminis libri neque inscriptionem neque subscriptionem ullam habent, qua poetae nomen exhibeat, id quod in Cusano (C) quoque et Lipsiensi (L) codicibus, qui et aetati et bonitati Gemblacensis libri proxime accedunt, evenisse nostris oculis vidimus.

Idemque nomen gentilicium reddit in cod. Vossiano (V₂), qui sub numero 390 Lugduni-Batav. conditur, et in Vaticano 3099 chartaceis saec. XV, quorum ille in folio primo habet M Mallij EQOM astronomicon diuo oct quirino aug. proemium *lib' pr'* et sub fine libri II: M. mallij boeni astronomicon liber II explicit; hic inscribitur M. Mallii poetae Illustris ad Octavianum Augustum Astronomicon.

Similemque titulum p[ro]ae se ferebat cod. Vossianus saec. XV nunc deperditus,²⁾ quo Ezechielis Spanhemius et Richardus Bentleius usi sunt. Sic autem hic liber inscriptus fuisse traditur: Marci Mallii Antiochi Boemi³⁾ Astronomicon Divo Octavio Quirino Aug.

1) In margine codicis Lipsiensis manus antiqua ad vs. I 692 sq. adscripsit: hof tref usuf ducit in exemplum priscianus; neque vero apud cum extant. — Titulus ille ab Orellio (4804) editus, qui exhibit versum Manil. IV₁₆, ficticius est; cf. Friderici Ritschelii op. IV p. 251.

2) Collatio Spanhemii a. 1679 ad Windsoram in villa Vossiana confecta Berolini inter libros Spanhemii sub nro. 44 asservatur; Jacob p. XIV.

3) Bentleius, cuius in usum duo studiosi adulescentes Lugd. Bat. codicem contulerunt, *Poeni* nomen in titulo affert p. XI et XIV.

Quibus in codicibus quid illa *boeni* vel *Boemi Poenive* vox sibi velit, sub qua *Poeta* nomen latere Woltjer opinatur p. 28, pro certo affirmare non ausim. Facere enim non possum, quin Jacobi¹⁾ improbem opinionem, qui et ex titulis illis et ex certis quibusdam sermonis proprietatibus, quas in astronomicis indagasse sibi visus est, Afrum natione poetam fuisse autumat. Immo si de re admodum dubia conjecturam proponere licet, equidem nomina illa ex *Boeci* voce depravata originem duxisse suspicor. Ei enim librario, qui primus in suo exemplari parum curiose Boeci nomen apposuit, in mentem venit Anicii Manlii Torquati Severini Boetii, quem de astronomia quoque scripsisse scimus. Boetii liber de astronomia affertur in indice codicum Bobiensis coenobii decimo saeculo exarato²⁾; Boetii octo³⁾ volumina de astrologia Gerbertus⁴⁾, praeflarus ille artium liberalium et fautor et praceptor, in epistula 76 ad Adalberonem Remorum archiepiscopum data commemorat.

Quae conjectura optime, ut opinor, Manili codicis Urbin. 668 (802) titulo commendatur, qui reapse Boeci nomen praebet, cf. infra p. 4. Hanc autem formam depravatam saepius in Boetii libris manuscriptis occurrere Consolationis librorum inscriptiones codicum Bernensis saec. IX Ratisbonensisque saec. X a Peipero notatae docent. Atque ut hoc in transcurso moneamus, ex eisdem illis Boetii codicibus elucet Manlii vel Mallii Maniliique nomina, quibus plane diversae gentes antiquitus significabantur, sicut in aliis quoque libris manuscriptis centiens factum videmus, a librariis esse confusa.

Sed pergamus in poetae nomine ex codicum Manilianorum inscriptionibus statuendo.

Atque haud multum a titulis quattuor illorum exemplariorum, quae adhuc attulimus, differt Medic. Laurentiani pergam. saec. XV. plur. 30, 15 hic: Marci Manlii poetae clarissimi astronomicon ad Caesarem Augustum; in fine Marci Manlii mathematici vita.⁵⁾

1) Progr. Lubec. a. 1832 p. 14 et editionis p. XVII.

2) Oeuvres de Gerbert par A. Olleris, Paris 1867. p. 493.

3) Numerum falsum esse arbitror.

4) Boetium quanti Gerbertus, qui inde ab a. 999 usque ad a. 1003 nomine Sylvestri II sumpto pontifex maximus fuit, aestimarit, ex multis geometriae locis (p. 401. 403. 413. 416) et ex hoc eius epigrammate intellegitur (Olleris p. 294. Consolat. ed. Peiper p. XXXX):

Roma potens dum iura suo declarat in orbe,
Tu pater et patriae lumen, Severine Boeti,
Consulis officio rerum disponis habenas,
Infundis lumen studiis et cedere nescis
Graecorum ingenii. Sed mens divina coeret
Imperium mundi; gladio bacchante Gothorum
Libertas Romana perit. Tu consul et exsul
Insignes titulos praecolla morte relinquis;

quos versus exscripsimus, non quo ut Benedictini fratres (Olleris p. CLXV n. 3.) singularem in eis inesse elegantiam arbitremur, sed quod vs. 7 legentibus huius Maniliani loci nobis in mentem venit:

IV 45 Et Cimbrum in Mario Mariumque in carcere victum,
Quod consul totiens exsul, quod de exsule consul.

Gerberto Manili carmen non ignotum fuisse infra apparebit.

5) Huius codicis magnam lectionum copiam, e quibus indolem eius cognoscerem, Otto Immisch, vir doctissimus, qua est comitate ac sedulitate si quid litteris prodesse potest, mihi denotavit; cuius officii gratias maximas ei ago. — De Manilio mathematico videas, quae p. 7 n. 1 adnotavimus.

At alterum exstat tituli genus codicibus Cusano (C) quondam, nunc Bruxellensi n. 10699 pergam. saec. XII; Lipsiensi (L) pergam. saec. XI exeuntis n. 1465; Vossiano (V₁) chartac. saec. XV n. 18 servatum hoc: ARATI · PHILOSOPHI · ASTRONOMICON · LIBER · PRIMUS · INCIPIT et in margine PRELIBATIO.

Atque hic titulus in singulis codicibus ab eo videtur exaratus esse, qui totum carmen descripsit eo tamen discrimine intercedente, ut manus saec. XV aut XVI in Lipsiensi et Vossiano inductis Arati philosophi vocibus superscripserit: Marci Manilii, in Cusano autem haec adnotarit: *hic liber nō p̄t* (i. e. potest) *antiq' arati ēs q̄ fuit tpe* (i. e. tempore) *antiqui et muchabear.* (l. macedonum) *ut p̄t* (i. e. patet) *hic ex sept̄ō versu q̄* (i. e. quia) *auctor fuit tpe auguſti. sed fuit marcello.*

Atque de Arato quidem eum, quisquis haec apposuerit, verum vidisse, errasse de Marcello in propatulo est. Attamen id ex ea, quae ad Aratum spectat, inscriptione efficitur, Romani poetae ignoti astronomica pro versione Latina Arateorum Phaenomenon esse habita, qualem Ciceronem, Germanicum Avienumque composuisse non est, quod moneam. Hic error facile ex perspicua rerum ab utroque poeta tractatarum similitudine oriri potuit. Huc accedit quod, si carmina illa astronomica diversorum poetarum uno volumine coniuncta esse fingimus, quorum Aratus Latinus, ut par est, ordinem duxerit, huius poetae nomen Maniliano quoque carmini inditum esse suspicari licet.¹⁾

Jam si ex diligenti G et L codicum collatione libello illo supra laudato recte effecimus esse eos artiore quadam affinitate inter se coniunctos (C autem librum eiusdem esse classis collatio eius nuper confecta nos docuit), a vero non aberrabimus, si G pariter atque L et C quondam Arati nomen in fronte habuisse statuemus.

Idemque et praenomen et gentilicium, quod in L et V₁ manus emendatrix reposuit, in utroque cod. Urbin. membr. saec. XV recurrit, quorum alter n. 668 (802) inscribitur: Marci Manilii Boeci astronomici lib. I; alter n. 667 (803): M. Manilii Astronomicon lib. primus incipit. Pariterque codex Monacensis n. 15743 chart. eiusdem aetatis inscriptus est.

Sed ne de praenomine quidem libri manuscripti consentiunt. Nam Laurentius Bonincontrius Miniatensis, qui anno 1484 Manilii carmen edidit adiecto commentario nullius, ut Scaligeri verbis utar, aut per exiguae frugis, in praefatione testatur vetustissimos sibi Manilii quinterniones ex bibliotheca Cassinensi ab Antonio Panormita traditos fuisse hac quidem singulorum librorum inscriptione insignitos: C. Manilii Poetae Illustris Astronomicon incipit. Idemque imaginem argento sculptam se habere dicit, quae hominem in habitu Antiochenorum repraesentet, iuxta cuius caput sit sphæra. Quibus usus testimoniiis ille Gaium esse genuinum poetae nomen arbitratur.

Attamen ab libro illo Cassinensi vetustatem confidenter abiudico. Etenim lectiones eius longo intervallo a bonis Gemblacensis eiusque asseclarum scripturis distare ex collatis inter se utriusque libri testimoniis manifestum fit, ut ne Gai quidem praenomen premendum censeam. Imaginem autem illam, etsi Nicolaus Trapolinus, Lilii Gyraldi Ferrariensis familiarissimus, sese nummum eadem effigie insignem vidisse affirmat,²⁾ omnino missam faciamus, praesertim cum

1) Aldina Manilii editio a. 1499 hos scriptores astronomicos uno volumine coactos præbet: Firmicum, Manilium, Arati Phaenomena interpr. Germanico, Cicerone, Avieno, alias. — cf. etiam Woltjer p. 15.

2) Lilii Gregorii Gyraldi Ferrariensis opera, tom II. de poetarum historia dialog. IV p. 220 sq. Lugd.-Bat. 1696.

ne in nomine quidem insculpto auctores illi consentiant: namque Bonincontrius C. MANILLII, hic C. MANLII nomen in margine incisum esse memoriae tradidit.

Verum enim vero quid tandem ex hac tanta nominum congerie lucramur?

Illud exemplar, ex quo G C L libri pendere putandi sunt, Arati nomine inscriptum erat, qui titulus teste V₁ codice in quibusdam libris usque ad saec. XV permansit. Contra ea altera exemplarium familia, quae ex recentioribus maxime libris constat, ad fontem nos dicit M. Manilii nominibus insignitum. Ad quem fontem, quamvis antiquorum temporum tenebris abditus lateat, quoad fieri potest, gradus nostros dirigamus.

Qua in re peropportune evenit, quod non prorsus scriptorum testimonii (recentiorum quidem, sed admodum certorum) destituti sumus, quorum ope, qua sit ingrediendum via, cognoscamus. Poggius enim Florentinus, quem temporibus concilii Constantiensis per coenobia et bibliothecas illius regionis mira cum felicitate vetustos codices permultos investigasse inter omnes constat, astronomicum quoque carmen vatis Romani idque M. Manilii nominibus inscriptum tineis pulverique eripuit. Qui quae ibi una cum Bartholomaeo de Monte Politiano¹⁾ atque Cincio Romano monumenta vetustatis detexerit, popularibus suis duabus potissimum epistulis nuntiavit. Quarum in altera ad Guarinum Veronensem data²⁾ Manilium nominatim non afferit, sive nondum invenerat sive non tanti quanti Quintilianum, Asconium alias aestimaverat. Altera autem epistula Francisco Barbaro missa aetatem non tulit. Sed tamen Barbari responsum praesto est, quod ad Poggium misit, ex Venetiis quidem pridie Non. Jul. a. 1417³⁾. In hac igitur epistula haec leguntur: „Tu reipublicae causa quid facturus es, facile declarasti, cum te non vis hiemis, non nives, non longitudo itineris, non asperitas viarum, ut monumenta litterarum e tenebris in lucem erueres, retardavit. Tu Tertullianum, Tu M. Fabium Quintilianum, Tu Q. Asconium Pedianum, Tu Lucretium, Silius Italicum, Marcellinum, Tu Manilium Astronomum, L. Septinium Valerium Flaccum, Tu Caprum, Eutychium, Probum grammaticos, Tu complures alios Bartholomaeo collega tuo adiutore vel fato functos vita donastis, vel longo, ut aiunt, postliminio in Latium revocastis.“

Attamen si cui dubium esse videatur, sitne Manilius Astronomus idem atque is, de quo disserimus, is legat Q. Asconii Pediani codicis Soc. Columb. Flor. subscriptionem hanc: hoc fragmen-

1) Cf. Ambrosii Traversarii vita, ed. Laurentius Mehus praef. p. XV sq. — Georgius Voigt, Wiederbelebung des class. Alterthums I² p. 235 sq.

2) Celeberrimae huius epistulae in nostrae quoque academicae bibliothecae codicis n. 1270 fol. 135 servatae a Quirino Diatrib. praelim. § 1 editae locum gravissimum exscribere operae pretium duximus respectis quidem Kiesslingii emendationibus (Q. Asconius Pedianus, ed. Kiessling et Schoell p. XXVIII.)

Poggius Guarino Veronensi sal. pl. d. . . Sed quum temere persaepe eveniant, quae non audeas optare . . fortuna quaedam fuit . . nostra, ut, quum essemus Constantiae otiosi, cupidus incesserit visendi eius loci, quo ille (Quintilianus) reclusus tenebatur. Est autem Monasterium sciti Galli prope urbem hanc milia passuum vigenti. Itaque nonnulli animum laxandi et simul perqurendorum librorum, quorum magnus numerus esse dicebatur, gratia eo perrexiimus. Ibi inter confertissimam librorum copiam, quos longum esset recensere, Quintilianum comperimus (l. reperimus) adhuc salvum et incolumem, plenum tamen situ et pulvere squalentem. Erant enim non in bibliotheca libri illi, ut eorum dignitas postulabat, sed in tetricimo quodam et obscuro carcere, fundo scilicet unius turris, quo ne capitalis quidem rei damnati detruderentur . . Reperimus praeterea libros tres primos et dimidiatum quarti (l. quartum) C. Valerii Flacci Argonauticon et Expositiones, tanquam thema quoddam, super octo Ciceronis orationibus Q. Asconii Pediani eloquentissimi viri . . Haec mea manu transscripti et quidem velociter, ut ea mitterem ad Leonardum Arretinum et Nicolaum Florentinum . . . Constantiae XVII Kal. Janu. Anno Chr. MCCCCXVII. Cf. H. Blass, Mus. Rhen. 30 p. 458 sq., qui suo iure anno 1416 epistulam esse scriptam contendit.

tum repertum Q. asconii pediani repertum est in monasterio sancti galli prope constantiam . XX . milibus passuum a Poggio Florentino una cum parte C. ualerii flacci & balbi setini argonauticon . & . M. manilij astronomicon . & statii siluarum libri . quod sumpsimus ex exemplari /// dicti poggi sua manu transscripto . Finis.¹⁾ Atque huius codicis partem alteram Gustavus Loewe, quem et suis et omnibus bonis litteris praematura morte abreptum esse vehementer dolemus, Matriti in bibliotheca Escorialensi, Mediolani in Ambrosiana alteram se invenisse litteris mecum communicavit.²⁾

Sed nomini poetae statuendo Poggium non unum testem producimus. Quid? quod decimo saeculo sub M. Manilius nominibus astronomica illa venditabantur, si quidem, qui primus scriptorum eum hoc nomine appellavit, hunc de quo agitur poetam significari vult. Gerbertus enim, cuius de studiis astronomicis iam supra diximus, in epistula 78 a Rainardo monacho petit, ut sibi opus illud astronomicum scribatur. Totum autem, qui hue spectat, locum appono, quippe qui, quae scitu digna videantur, habeat complura: „Unum a te plurimum exposeo, quod et sine periculo ac detimento tui fiat, et me tibi quam maxime in amicitia constringat. Nostri quanto studio librorum exemplaria undique conquiram, nosti quot scriptores in urbibus ac in agris Italiae passim habeantur. Age ergo, et te solo conscio, et tuis sumptibus fac ut mihi scribantur M. Manilius de astrologia, Victorinus de rhetorica, Demosthenis ophthalmicus.³⁾ Spondeo tibi, frater, et certum teneto, quia obsequium hoc fidele et hanc laudabilem obedientiam sub sancto silentio habebo, et quicquid erogaveris, cumulatum remittam secundum tua scripta, et quo tempore iusseris. Tantum significa, cui et tua munera et nostra porriganus scripta . . . Nec sit metus ad quorumlibet notitiam pervenire, quae sub nostra deposueris fide.“

Tanta igitur cautio adhibenda erat, si quis monachorum opus aliquod astrologicum, quale erat carmen Manilianum (etenim ad hoc tantum carmen verba illa cautionis plena spectare concedes), quasi librum magiae artis nefandissimum aditurus erat. Ceterum utrum Gerbertus hunc codicem Manilius acceperit neene, nescitur.

Denique si forte astrologiae vocem, qua ille utitur in epistula sua, premens de astronomico carmine cogitandum esse negaveris, primum reputes astronomiae et astrologiae vocibus plerunque promiscue scriptores usos esse, videlicet quod rem ipsam non acriter distinguebant. Deinde autem omnis, opinor, scrupulus tibi eripietur, si quae Obertus Giphanius Josepho Scaligero epist. 71 scribit,⁴⁾ legeris: „Incido in litteras Caroli Langii; eis litteris... scribit, Jacobum Susium... habere antiquissimum exemplar Manili Astrologi.“ Atqui aliunde scimus, Susium M. Manilius astronomorum Gemblacensem codicem penes se habuisse (Manilius edit. Londin. 1828 p. 6 et Jacob p. VIII).

Quae omnia si mente reputaverimus, duas fuisse codicum Manilianorum familias statuamus necesse est, quarum altera Manilius, Arati altera in titulo habuerit poetae nomen; quorum quin illud genuinum sit, equidem non dubito. Quod autem poetae nomen a nullo aequalium memoriae proditur, dolendum nec tamen inde colligendum est M. Manilius nomina esse spuria.

1) Q. Asconius Ped. ed. Kiessling et Schoell p. XXIX n. 3. — A. Reifferscheid, Mus. Rhen. 23 p. 145 A. 51. — C. Wachsmuth ib. 29 p. 355 sq. — H. Blass ib. 30 p. 460 sq. — Valerius Flaccus Argon. ed. G. Thilo p. LXV. — Statius silv. ed. Aemilius Baehrens p. I.

2) G. Voigt, I. I. I. 243 n. 1.

3) In epistula 213 idem a Giselberto abate petit, ut Demosthenis philosophi librum, qui inscribitur Ophthalmicus, sibi mittat; ex oculis enim laborabat.

4) Sylloges epistolarum ed. Petr. Burmann tom. II. p. 306.

CAPUT II.

De M. Manilii patria.

Jam de patria eius disserentibus nobis vix opus est eorum pluribus refellere errorem, qui eum peregrinum fuisse existimaverunt. Quorum agmen ducunt Bonincontrius et Lilius Gyraldus, quorum ille in editionis suae Manilii praefatione, hic in quarto de poetarum historia dialogo docet Manilium poetam non diversum fuisse ab eo, de quo Plinius Nat. Hist. XXXV 199 haec narrat:¹⁾ „creta argentaria . . . pedes venalium trans maria advectorum denotare instituerunt maiores; talemque Publilium * Lochium mimicae scaenae conditorem et astrologiae consobrinum eius Manilium Antiochum, item grammaticae Staberium Erotem eadem nave ad vectos videre proavi.“ Sed non solum haec Plinii verba, e quibus, ut hoc in transcursu moneam, simul patet, unde titulus ille codicis Vossiani deperdit originem duxerit, Gyraldum commoverunt, ut astronomicorum conditorem inter peregrinos referret, verum etiam inquinatus, quem dicit, poetae sermo, quo hominem Romanum usum esse ab omni probabilitate abhorreret.

Attamen ut interim iniustum eius de elocutione Manilii iudicium omittamus, quod non tam de poetae loquendi usu quam de pravissimis, quibus tunc utebantur, editionibus ferendum erat, virorum illorum sententiae ne subscribamus, vel temporum rationes certissimae obstant. Namque Staberium Erotem Bruti Cassiique fuisse magistrum Sullanisque temporibus proscriptorum liberos gratis in disciplinam recepisse Suetonius de gramm. c. XIII narrat. Astronomicorum autem auctorem post cladem Varianam, cum nondum senex esset, carmen suum condidit; cf.

I 114 Faveat magno Fortuna labori ib. 899 Cum fera ductorem rapuit Germania Varum.

Sed alium eumque gravissimum Manilii existimatorem audiimus, Bentleium dico, qui et ipse, si quidem nepos sententiam patrui recte in praefationis pagina X reddidit, suspicatus est „poetam fuisse alicubi forsitan ex Asia peregrinum“, quod cum ex singulari eius quorundam verborum constructione, tum quia nusquam Romanos illis artibus adeo mature operam dedisse appareret. Liceat nobis, quam ille secundo loco attulit causam, prius redarguere. Romanos scriptores iam ante Manilium scientiae siderali operam navasse et, quidquid rimando invenerint, litteris mandasse testatur M. Terentii Varronis disciplinarum liber sextus, qui totus erat de astrologia,²⁾ testatur P. Nigidius Figulus,³⁾ homo iuxta Varronem teste Gellio doctissimus, qui, ut Ciceronis verbis utar, acer erat investigator et diligens earum rerum, quae a natura involutae videntur; cuius sphæram graecanicam et barbaricam Servius identidem laudat; ut non opus sit ab incerto P. Terentii Varronis Atacini carmine astronomico repetere, quod alii chorographiam, cosmographiam alii inscriptum fuisse existimant, nedum Sulpicii Galli, C. Gali, L. Tarutii Firmani studia astrologica eruam.

Ac ne alterum quidem argumentum Bentlei, e dicendi genere arcessitum, stare poterit,

1) Neque ille Manilius mathematicus hue facit, qui secundum memoriam nonnullorum codicum Plinianorum obelisco ad deprendendas solis umbras in campo Martio statuto ab Augusto iussus auratam pilam addidit (Nat. Hist. XXXVI 10, 72); etenim et boni libri pro Manilii habent Novi nomen, nec fuisse Manilium poetam eundem mathematicum repugnantiae haud leves, quae in astronomicis eius occurunt, testantur.

2) Cf. Friderici Ritschelii op. III p. 361 et O. Gruppe, Herm. 11 p. 235 sq.

3) Alfredus Breyssig, de Nigidii Figuli fragmentis apud scholiasten Germanici servatis. Berolini 1854. — Arminius Roehrig, de P. Nigidio Figulo Coburgi 1887 p. 53 sq. — Nigidii Figuli operum reliq. ed. Antonius Swoboda Lips. 1889 p. 106 sq. — Gellius N. A. IV 9. — Cie. Timae. 1.

quamvis etiam Jacob et Merkel¹⁾, Afrum eum fuisse eadem de causa rati defendere studeant. Habet sane Manilius ut quivis poeta singulari quodam ingenio praeditus suum et proprium dicendi genus, ac ne me quidem fugit, haud pauca in hoc carmine inesse, quae insolenter, nonnulla quae parum dilucide, alia quae duriusculum in modum dicta sint, quae in re admodum dura et spinosa habeant, quo excusentur: nullum tamen poteris afferre exemplum, quo commotus usum Manilianum barbarum absonumve a legibus linguae cum Bentleio dixeris. Qua de re cum alias paulo fusius disputare in animo habeamus, nunc ad Woltjeri (p. 30 sq.) et Crameris dissertationes delegasse sufficiat. An putas Manilium, si Africa eum procreasset, de hac terra sic locuturum fuisse?

- IV 662 Huic varias pestes diversaque monstra ferarum
Concessit bellis natura infesta futuris:
Horrendos angues habitataque membra veneno,
665 Et mortis partu viventia, crimina terrae,
Et vastos elephantas habet saevosque leones;
In poenas fecunda suas parit horrida tellus
Et portentosos cercopum ludit in ortus,
Ac sterili peior siccas infestat harenas,
670 Donec ad Aegypti ponat sua iura colonos.

At quid omnino conjectura opus est, cum certissima ipsius poetae testimonia manibus teneamus? Ubi enim de duodecim siderum stationibus disserit, de undecima, quam Graeci *άγαθην τύχην* vocant, dicit:

- II 888 Cui titulus felix; censem sic proxima Graiae
Nostra subit linguae vertitque a nomine nomen

i. e. sic ad notionem Graecae linguae nostra lingua proxime accedit. Suum igitur Romanum sermonem apertis verbis Graeco opponit, quam oppositionem eis quoque locis invenies aut saltem subaudies, e quibus eum ex Graeco²⁾ fonte hausisse discimus:

- 1) Rudolfus Merkel prolus. in Ibin p. 400 sq. — Ovidii Ibis, ed. Robinson Ellis p. XIX.
2) Aegyptiorum autem doctrinæ astrologicae specimen in his versibus Manili habes:

- II 453 Accipe divisas hominis per sidera partes
Singulaque in propriis parentia membra figuris.
455 In quis praecepias toto de corpore vires
Exercent. Aries caput est ante omnia princeps
Sortitus, censusque sui pulcherrima colla
Taurus; et in Geminis aequali brachia sorte
Scribuntur conexa humeris; pectusque locatum
460 Sub Cancro est; laterum regnum scapulaeque Leonis;
Virginis in propriam descendunt ilia sortem.
Libra regit clunes, et Scorpions inguine gaudet.
Centauro femina accedunt, Capricornus utrisque
Imperat et genibus, erurum fundentis Aquari
465 Arbitrium est, Piscesque pedum sibi iura reposunt

quibuscum contendas schol. Arat. v. 544 οἱ Αἰγύπτιοι εἰκότως ἀπὸ τοῦ κριοῦ ποιοῦνται τὴν ἀρχὴν, πάντα τὰ
ζῷα κατὰ ἀναλογίαν λαμβάνοντες τὸν μεῖον καὶ δῆ τὸν μὲν κριὸν κεφαλὴν εἴραι φασιν, ἐν δὲ τῷ ἡγεμονικῷ,
ἐπειδὴ ὁ κριός τὸν προράτων ἡγεμὼν καὶ πρόσδοξός ἔστιν, καὶ ὅτι ἐν τῷ κριῷ ὁ γέλιος ἴσημερίαν ποιεῖται, ταῦτα δὲ
τὸν αὐλίκεντα ἄχρι τὸν παθῶν, οὐ εἰσιν οἱ ἵχθυες. Curtius Wachsmuth in Lydi libri de ostentis p. XXIII. n. 24.
— Albinus Haebler, Astrologie im Alterthum. Progr. Zwickau 1879 p. 24.

- II 897 Daemonien memorant Grai; Romana per ora
Quaeritur in versu titulus
ib. 909 Deus ille locus sub nomine Graio
Dicitur
ib. 916 Huic parti Dea nomen erit Romana per ora;
Graecia voce sua titulum designat eundem
ib. 937 titulum cui Graecia fecit
Daemonium
IV. 818 Percipe nunc etiam, quae sint ecliptica Graio
Nomine
ib. 848 ecliptica signa dixere antiqui
V 646 Nixa genu species et Graio nomine dicta
Engonasi.

Hi loci optime eos prooemii libri tertii versus interpretantur, quibus poeta pariter atque ante eum Lucretius¹⁾ linguae Latinae egestatem conqueritur:

- III 38 nec dulcia carmina quaeras.
Ornari res ipsa negat, contenta doceri.
Et si qua externa referentur nomina lingua,
Hoc operis, non vatis erit; non omnia flecti
Possunt et propria melius sub voce notantur.

Eae autem Graecae voces a poeta spectantur, quas terminos technicos dicere solemus veluti octotopos, dodecatemoria, athla, Chelae, Nepa. Sed de fontibus Manilianae scientiae cum alibi fusius dicendum sit, iam ad alium locum attendamus animum, unde iterum elucebit poetam peregrinum non fuisse. Inevitabilem fati vim, qua variae rerum humanarum efficiantur vicissitudines, his illustrat exemplis:

- IV 37 Quid referam Cannas admotaque moenibus arma?
Varronemque fuga magnum, quod vivere possit
Postque tuos, Trasumene lacus? Fabiumque morantem?
40 Accepisse iugum victae Carthaginis arces?
Speratum Hannibalem nostris cecidisse catenis
Exiliumque rei furtiva morte luisse?

Nonne vs. 41 evidentissime Manili patriam indicat? Videas tamen, quae Bentleius ad vs. 40 et 41 adnotarit: ,Spurii sunt barbarique. *Speratum cecidisse*; haec temporibus pugnant: *sperare* de futuro dicitur, *cecidisse* praeteritum est. Quid porro est *cadere catenis*? cur *nostris*? quasi auctor ab atavis Romanus esset. Jam vero *luisse exilium rei*, vel *regi*, vel *rogi*, quo cumque legeris modo, nihil egeris.'

Vereor tamen, ne electis illis versibus Bentleius omnem huius loci vim infregerit, quae secundum poetae sententiam in ipsis vitae casibus fati arbitrio repente commutatis posita est, ut Cannis, Varrone, Fabio commemoratis etiam interitum Carthaginiensium afferri oportuerit. Certus enim et immotus fati ordo in eo cernitur, quod post praeclaras illas Hannibal's victorias tam et Carthago periit et victor Poenus, a Romanorum catenis exspectatus, tandem morte

1) Lucre. de rer. nat. (ed. Lachm. 1871) I 139. 832. III 260.

victus est; atque eo quidem mortis genere, quod ei utpote reo conveniebat, poenas fugae dedit, qua triumphum subterfugerat. Quam interpretationem si improbas, tamen ille locus (II 888) restat, qui unus Romanum fuisse hominem astronomicorum auctorem evidenter demonstrat.

Cui quidem opinioni etiam tota carminis indoles egregie respondet. Quotienscumque enim poeta res Romanas tangit, dictio eius animum hominis vere Romani spirat. Hinc iusta eius admiratio magnitudinis imperii Romani, quod ex minimis initiis exortum ad summum rerum fastigium adiunctum sit; lege sis eos versus, quibus Romam urbem sub Libra sitam praedicat:

- IV 769 Quod potius colat Italiam, si seligis, astrum,
 Quam quod cuncta regit, quod rerum pondera novit,
 Designat summas et iniquum separat aequo,
 Tempora quo pendent, coeunt quo noxque diesque?
 Hesperiam sua Libra tenet; qua condita Roma
 Orbis et imperio retinet discrimina rerum,
 775 Lancebus et positis gentes tollitque premitque
 [Qua genitus cum fratre Remus hanc condidit urbem]
 Et propriis frenat pendente nutibus orbem,

vs. 776, qui in codicibus deterioris ordinis sic legitur:

Qua genitus Caesarque meus nunc condidit orbem,

si retineri posset, ad Romanam poetae originem demonstrandam plurimum valeret. Sed eiciendus est, non quo cum Bentleio in *us* syllaba Remus vocis contra usum sollemnem, quem fere ubique Manilius etiam diligentius quam Vergilius observat, producta haearum (satis enim haec productio ictus caesuraeque vi effecta et nomine proprio sicut in Vergilii exemplis excusat), sed quod versus ille sive eum tradito loco retines sive Scaligerum secutus post vs. 774 collocas, sententiarum conexum male rumpit. Roma enim totius enuntiati subiectum, quod dicitur, esse debet. — Humillimam autem urbis originem poeta his versibus:

- IV 23 Aut nisi fata darent leges vitaeque necisque,
 Fugissent ignes Aeneam? Troia sub uno
 25 Non eversa viro fatis vicisset in ipsis?
 Aut lupa projectos nutrisset Martia fratres?
 Roma casis et nata foret? pecudumque magistri
 In Capitolinos duxissent fulmina montes?
 Inclusive sua potuisset Juppiter arce?
 30 Captus et a captis orbis foret?

Hinc tanta eius rerum Romanarum aestimatio, ut reipublicae Romanae fortunam eandem atque caeli esse fortunam contendat (V52) urbisque rectorem appellat rectorem Olympi (I 916); hinc crebrae eius laudes Romanorum virorum fortium, qui rempublicam in summum discriminem praeceps ruentem sua virtute ab interitu revocaverunt. Eum evolvas locum, quo poeta de variis veterum, quae de circulo lacteo ferebantur, opinionibus disserens eam quoque proponit, ex qua excellentium virorum mortuorum animae in claro illo caeli tractu positae esse putabantur (I 758—804). Ibi quam parcus est in Graecorum alienigenorumque viris illustribus enumerandis, quam copiosus in Romanis ad astra tollendis!

Hinc praeferenda eius in Germanos ira, qui in saltu Teutoburgensi non fortitudine, sed perfidia, non acie instructa, sed paludibus adiuti legiones Romanas temeritate ducis Romani morti destinatas deleverint:

- I 896 Quin et bella canunt ignes subitosque tumultus,
 Et clandestinis surgentia fraudibus arma
 Externas modo per gentes; ut foedere rupto
 Cum fera ductorem rapuit Germania Varum
 900 Infecitque trium legionum sanguine campos,
 Arserunt toto passim minitantia mundo
 Lumina, et ipsa tulit bellum natura per ignes
 Opposuitque suas vires finemque minata est.
 Nec mirere graves rerumque hominumque ruinas!

905 Saepe domi culpa est: nescimus credere caelo,

quibuscum conferas quae Velleius Paterculus et Suetonius de hac clade tradant; Velleius II 118, 4: obstabant iam fata consiliis omnemque animi eius (i. e. Vari) aciem praestinxerant; ib. 119, 2: exercitus omnium fortissimus . . . marcore ducis, perfidia hostis . . . inclusus silvis, paludibus, insidiis ab eo hoste ad internectionem trucidatus est. Suet. Tib. 18: Varianam cladem temeritate et negligenter ducis accidisse. — Contra Germani aestate appropinquante paludibusque exsiccatis teste Manilio legiones Romanas fugiunt:

- III 625 Cancer ad aestivae fulget fastigia zonae.
 631 Et trepidum pelagus lassas tum languet in undas.
 Tunc et bella fero tractantur Marte cruenta,
 Nec Scythiam defendit hiems; Germania sicca
 Iam tellure fugit, Nilusque tumescit in arva.

Vs. 631 *trepidum pelagus iactatum* codices; *tepidum* — *iactatis l. in undis* Scaliger et Bentleius, nisi quod hic *siccatis* exhibet; *tacitas tum* Jacob; nos lenissima adhibita medela hunc in eo versu volumus sensum inesse: mare, cui adicitur *trepidum* vox quasi epitheton perpetuum, quod fertur, languet, ut undae lassae fiant; *in praepositio vim et finalem et consecutivam apud Manilium quoque saepius habes:*

- III 656 Voce nemus loquitur frondemque virescit in omnem
 IV 402 Martemque sequemur in praedas
 I 88 Fecit et ignotis iter in commercia terris

sequor enim codicis Veneti memoriam, cum ceteri libri praebeant *itiner commercia*, quae lectio quin hinc orta sit *iterⁱⁿ commercia*, dubitari non potest; alii loci in indice Jacobi exstant, quibus plures addere possumus.

- Sed ad proavos nostros a poeta depictos devotosque redeamus:
 IV 692 stupefacta suos inter Germania partus
 ib. 715 Flava per ingentes surgit Germania partus
 ib. 794 Teque feris dignam tantum, Germania, matrem.

Hinc denique poetae rerum Romanarum et ad publicam et ad privatam vitam pertinentium scientia multiplex ac recondita (cf. libros IV et V), quam in peregrino homine frustra quaeras. Sed haec de patria poetae hactenus.

CAPUT III.

De aetate M. Manilii.

Restat ut de aetate, qua Manilius fuisse vel potius de temporis spatio, intra quod carmen suum composuisse putandus sit, disputemus.

Atque haec quaestio, quae his potissimum annis virorum carminis Maniliani studiosorum acres movit controversias, difficillima est ad solvendum. Etenim ex diversa eorum, qui in examen vocandi sunt, locorum interpretatione plane diversa viris doctis placuerunt; unde factum est, ut, quo quis magis poetae verba torqueret, ut quam in eis inesse vellet vim ac notionem inde depromere posset, eo longius a vero aberraret.

Namque ut omittamus errorem Gevartii, a quo praeter alios haud paucos etiam G. J. Vossium¹⁾ a vera via aliquamdiu esse deductum mirari non satis possum, qui Manilium ad Theodosii tempora detrudit eundem esse arbitratus atque Flavium Theodorum Manilium, nulla, ut opinor, praeter singulare quoddam dicendi genus, alia re commotus nisi et nominis utriusque scriptoris et studiorum astronomicorum aliqua similitudine et consensu quodam, qui reapse est inter nonnullos Manili atque Firmici Materni locos,²⁾ cuius matheseos libris Manilium usum esse falso existimavit; (quam opinionem ne amplectamur vel leges metricae, quas astronomicorum auctor diligentissime ubique secutus est, optimae obstant): hac igitur Gevartii opinione omissa in tres maxime partes sententias virorum doctorum discedere videmus.

Quorum Scaliger Octaviano Augusto poetam opus suum dedicasse censem rem ut satis perspicuam obiter tangens; cum eo Bentleius et Pingreus faciunt, ille imprimis grammatica aliqua commotus observatione, quae ad genetivum numeri singularis nominum substantivorum in *ius* vel *iun* desinentium spectat, quam tamen observationem nihili esse ex Neui egregio libro discimus.³⁾

Contra ea Jacobo atque Merkeli, qui sub Ibide Ovidii Manilium abditum latere suspicatur⁴⁾, poeta tantum quattuor priores libros Augusto vivo condidisse, quintum librum intermisso aliquo temporis spatio sub Tiberio addidisse visus est. Atque fere idem statuerunt Woltjer, 'Manilium Augusti regno exeunte (et Tiberii ineunte fortasse) floruisse' ratus, et A. Cartaultius,⁵⁾ qui primum, alterum, tertium libros ante Augustum mortuum, quartum tamen et quintum post eius obitum ita compositos esse vult, ut poeta totum opus, ubi primum summa rerum Tiberio delata esset, edidisset et omnes eos immutasset locos, qui Augusti laudes continerent.

Lachmann denique Augusto demum mortuo opus a poeta incohatum et confectum esse sibi persuasit. Acerrimusque huius opinionis defensor exstitit in Bertholdo Freiero, qui ullum esse versum astronomicorum negat, ex quo appareat Augustum scribente poeta inter vivos fuisse. Immo, inquit, sub Tiberio Manilius floruit, qui unus ex Germanici sociis fuit atque una cum Germanico orientem visit. De astronomicon autem aetate sic iudicat, ut censeat, compositum esse librum

1) Cf. Gevartius in Stat. silv. III 3. — Gerardus Joannes Vossius de Poet. Latin. p. 37 Amsteld. a. 1662.

2) Woltjer p. 16 et p. 18 n. 1.

3) Fridericus Neue, Formenlehre der lat. Sprache I² p. 91 sq. — Cf. Cramer p. 5 n. 1.

4) Rud. Merkeli prolus. ad Ibin p. 400: 'Credo igitur Ibin vero nomine appellatum fuisse Manilium Poenum.' At vide, quae Otto Ribbeck de hac re dicit in aurei libri, qui inscribitur Geschichte der Roem. Dichtung, vol. II p. 327 sq. — Robinson Ellis I. 1.

5) A. Cartault, Revue critique n. 15 a. 1888. — A. Kraemer I. 1. p. 7.

- I sive Romae sive in Illyria a. u. c. 770 fortasse exeunte
 II maiore ex parte et
 III per annum 771 in Asia,
 IV circa initium anni 772 ibidem,
 V non ante annum 775 sive haud ita multo post.

Quibus opinionibus impugnans G. Lanson, homo Francogallus ingenio acri et sobrio iudicio, similiter atque Jacob astronomica ita arbitratur scripta esse «ut post Vari cladem ante editas ex Plonto epistulas Ovidii (octavum inter et tertium decimum annum) primus, secundus, tertius libri conditi sint, quartus vero post Ponticas epistulas ante Augusti obitum additus sit, sed quintus vel cum quarto vel posterius, Tiberio iam regnante, subici potuerit».

Verumtamen Augusto Kraemero, novissimo felicissimoque harum rerum investigatori, Manilius postquam anno p. Chr. n. decimo initium edendi fecisset, singulos fere singulis annis libros composuisse totumque opus usque ad Augusti annum emortualem paene confecisse videtur.¹⁾

His virorum doctorum opinionibus sub uno adspectu propositis, quid nosmet ipsi de Maniliis aetate censemus, dicendum erit. Ac ne longus sim, statim sententiam, quae mihi iam abhinc multis annis fixa stat, proferam.

Nos quidem Manilium opus suum Caesare Octaviano Augusto regnante incepisse et perfecisse persuasum habemus, cum nullum astronomicorum versum invenerimus, quem de vivo Augusto intellegere vetemur, de Tiberio summa rerum potito interpretari iubeamur.

Quod ut probemus, noli timere, ne singula nos virorum illorum doctorum argumenta repetamus repetitaque refutemus, quippe quae iam et Lanson et Kraemer causis allatis ad persuadendum aptissimis, redarguerit; quibuscum haud raro me consentire non miraberis, quoniam fieri non potest, quin eisdem fere ex opere Maniliano depromptis argumentis utamur. Immo ut omnes eos carminis locos, qui dubitationis ansam habent, ita totum omnino imitationum Ovidianarum genus, quippe quod admodum sit incertum, omittemus eis solis innixi poetae verbis, e quibus certi aliquid ad nostram sententiam stabiendi nobis petisse videmur.

Qua in re iterum a clade Variana ordiundum est, cuius ut modo acceptae poeta mentionem facit, unde communi virorum doctorum consensu Manilius primum librum post annum nonum scripsisse putatur. Nec minus certo indicio is annus definiri potest, ante quem astronomica composita esse putanda sunt. Ubi enim, quae sub singulis sideribus positae sint terrae, poeta docet, de Virgine haec habet:

- IV 763 Virgine sub casta felix terraque marique
 Est Rhodos, hospitium recturi principis orbem,
 Tumque domus vere solis, cui tota sacrata est,
 Cum caperet lumen magni sub Caesare mundi.¹⁾

Quae non nisi de Tiberii secessu Rhodio non voluntario intellegenda esse etiamnunc credo, quamquam Freier ad Germanicum haec verba refert, quem suadente patre in Asiam proficiscentem, ut motum orientem pacaret, nave ad Rhodum appulsa aliquot ibi dies animi remittendi causa versatum esse arbitratur.²⁾ At quam ignota haec Germanici fortuita commoratio prae perulgata illa atque famosa Tiberii! Jam vero recturi principis appellatio! Quam temeraria quamque

¹⁾ Namque poetam haec adulatorio sensu dicere respectu videlicet habito ad colossum illum Rhodium Soli deo consecratum, non est cur pluribus demonstrem.

²⁾ Tacitus ann. II 55 de aliquot dierum Germanici commoratione Rhodia omnino non loquitur.

Manilio periculosa, Tiberio summa Germanici invidia incenso (Suet. Cal. 1.)! Germanicum igitur missum faciamus.

Huc accedit aliud quid, quo Lachmanni, Freieri Cramerique opinio corruit. Minime enim mihi persuadetur poetam, si regnante Tiberio carminis patronum elegisset (quem, si solum usum linguae intuemur, recturum dici potuisse concedo, cum ad ea tempora poeta respiceret, quibus ille Augusto nondum in regno successerat), omnino ullam Rhodii secessus mentionem facturum fuisse; quae quam odiosa ei fuerit, ex narratiuncula comperimus quadam Suetonii, qui haec de Tiberio prodit (Tib. 56): „Xenonem, inquit, quandam exquisitus sermocinantem cum interrogasset, quaenam illa tam molesta dialectos esset, et ille respondisset Doridem, relegavit Cinariam, existimans exprobratum sibi veterem secessum, quod Dorice Rhodii loquantur“. Hic quisquam putabit Manilium de consilio tempora illa tristissima in mentem imperatoris revocasse! Hoc omni caret probabilitate. Quartum igitur librum poeta Augusto principe composuit.

Nec aliter de quinto libro statuemus. Etenim ut cum Jacobo ultra Augusti tempora descendamus, neque ex primis huius libri verbis „Hic aliquis finisset opus“ efficere possum, quibus verbis Jacob intermissum aliquamdiu studium significari existimat, neque ei versus documento sunt, quos idem vir doctus de theatro Pompei flammis absumpto interpretatur, quod se restituturum esse Tiberius promiserit; quod opus quamquam imperfectum Tiberius reliquerit (Suet. Tib. 47), tamen nihil poetam impedire potuisse, quominus hanc in eum laudem poetarum more conferret; ergo Manilium haec post annum 22, quo theatrum restitui coeptum sit, scripsisse.*)

Attamen de theatro Pompeiano poeta omnino non loquitur. Quod ut plene et plane intellegatur, totum locum exscribam:

- V 505 At cum Cassiope, bis denis partibus actis,
Aequorei iuvenis dextra de parte resurgit,
Artifices auri faciet, qui mille figuris
Vertere opus possint caraequa adquirere dotem
Materiae et lapidum vivos miscere colores.
510 Hinc augusta nitent sacratis munera templis,
Aurea Phoebeis certantia lumina flammis,
Gemmarumque iubar, radiantes lucibus ignes.
Hinc Pompeia manent veteris monumenta triumphi
[Et quod erat regnum pelagus fuit una malorum]
515 Non extincta *lues semperque recentia flammis
Et Mithridateos vultus induta tropaea.
Hinc lenocinium formae cultusque repertus
Corporis, atque auro quae sita est gratia frontis,
Perque caput ducti lapides, per colla manusque,
520 Et pedibus niveis fulserunt aurea vincla.

vs. 514, quem nos Bentleium secuti eicimus, Jacob post vs. 542 collocat; in versu autem 515, qui a Bentleio deletur, pro *lues* scribit *acie*, hac voce bella civilia significari arbitratus, quae nihil ei obfuerint.

*) Jacob, Progr. Lubec. 1836 p. 13. et editionis p. XVI.

Primum autem de aedificio aliquo exstructo hic cogitari totius loci sententia vetat, immo postulat, ut et de operibus bracteatorum inaureatorumque arte ornatis et de gemmis varia colorum pulchritudine renidentibus cogitetur, quarum teste Plinio H. N. XXXVII 1, 12 vim maximam Pompeius ex Asia Romam transtulit. Deinde aciei vocem per se positam de bellis civilibus intellegi posse nego. Quid ni litterarum ductus secuti pro *lue* scribamus *die*, ut significantur monumenta temporis diuturnitate non deleta? Quae interpretatio ut ad sensum versuum proxime antecedentium optime quadrat, ita apprime commendatur versibus insequentibus, quoniam etiam his de vario lenociniorum genere gemmarum maxime aurique luxuria conspicuo agitur.

Quodsi haec a nobis recte disputata sunt, sequitur, ut poetam totum opus Augusto vivo composuisse et huic principi dedicasse statuamus. Perscrutabimur igitur singulos locos, quibus principis mentionem facit, ut videamus, num sententia nostra stare possit.

Ac primo quidem loco vs. I 7 sqq. afferendi sunt, e prooemio quidem deprompti, quo poeta se divinas artes de caelo deducturum esse dicit:

- | | |
|-----|--|
| I 7 | Hunc mihi tu, Caesar, patriae princepsque paterque,
Qui regis augustis parentem legibus orbem
Concessumque patri mundum deus ipse mereris, |
| 10 | Das animum viresque facis ad tanta canenda . . . |
| 12 | Hoc sub pace vacat tantum; iuvat ire per ipsum
Aëra et immenso spatiante vivere caelo. |

Quamquam ex nudis Caesaris vel Augusti appellationibus, quibus poetam per totum carmen invicem de uno eodemque uti principe mihi constat, ad patronum carminis definiendum, nisi alia accedunt indicia, nihil nos lucrari concedo, quandoquidem omnes usque ad Hadrianum principes Caesaris nomine appellabantur, post Hadrianum autem eorum filii heredesve:¹⁾ tamen non dubito, quin unusquisque, nisi praeiudicata opinione ductus sit, hos versus ad C. Julius Caesarum Octavianum Augustum referat. Hic pater patriae appellatus, hic ut antea C. Julius Caesar vivus divino honore dignatus, hic bellis civilibus tandem finitis ab Horatio,²⁾ Vergilio,³⁾ aliis ut pacis restitutor summis laudibus elatus est. — Contra ea Tiberius, cuius in honores haec dicta esse Lachmann et Freier contendunt, Augusti nomen non dilexit, nullis nisi ad reges ac dynastas epistulis addere solitus, patris vero patriae appellationem obstinatissime recusavit,⁴⁾ ut valde sit dubium, num Manilius patronum carminis ipsis his nominibus allocutus sit. Quod autem Freier pacem illam ante Octaviani Augusti mortem ob Germanos nimirum nondum subactos ne in spe quidem fuisse summa mea admiratione affirmat, haec Vellei Paterni (II 89) verba apposuisse sufficiat: „Caesar reversus in Italiam atque urbem quo occurredit, quo favore

1) Christophorus Schoener, die Titulaturen der roem. Kaiser. Acta Semin. Philol. Erlang. vol. II 1881, p. 465 sq.

2) Hor. c. IV 15,4 tua, Caesar, aetas . . .

 . . . vacuum duellis

 Janum Quirini clausit.

Suet. Aug. 22 Janum Quirinum, semel atque iterum a condita urbe ante memoriam suam clausum, in multo breviore temporis spatio terra marique pace parta ter clausit.

3) Verg. Aen. I 294 Claudentur Belli portae; Furor impius intus
 Saeva sedens super arma et centum vinctus aenis
 Post tergum nodis fremet horridus ore cruento.

4) Suet. Tib. 26. 50. 67.

hominum omnium generum, aetatum, ordinum exceptus sit . . . ne in operis quidem iusti materia, nedum huius tam recisi digne exprimi potest. nihil deinde optare a dis homines, nihil dii hominibus praestare possunt, nihil voto concipi, nihil felicitate consummari, quod non Augustus post redditum in urbem reipublicae populoque Romano terrarumque orbi repraesentaverit. finita vicesimo anno bella civilia, sepulta externa, revocata pax, sopitus ubique armorum furor.“ —

Quibuscum perbene concinunt, quae poeta in fine eiusdem libri dicit, ubi ad bella civilia respicit reipublicae fatalia, nisi exstitisset pater patriae invictus. Quem patrem patriae iterum intellegimus Octavianum Augustum. Namque ad res ab eo patriae servandae causa praeclare gestas in carmine celebrandas totus hic locus ita videtur compositus esse, ut poeta ultimis verbis his: „Sit pater invictus“ etc. quodammodo ad exordium libri redeat. Versus autem, quos in mente habemus, inde petiti sunt, ubi vis cometarum praesagiens his exemplis confirmatur:

- | | |
|-------|---|
| I 906 | Civiles etiam motus cognataque bella
Significant. nec plura alias incendia mundus
Sustinuit, quam cum ducibus iurata cruentis
Arma Philippeos implerunt agmine campos. |
| 910 | Vixque etiam sicca miles Romanus harena
Ossa virum lacerosque prius superastitit artus;
Imperiumque suis conflixit viribus ipsum,
Perque patris pater Augustus vestigia vicit.
Nendum finis erat. restabant Actia bella |
| 915 | Dotali commissa acie, repetitaque rerum
Alea, et in ponto quae situs rector Olympi.
Femineum sortita iugum cum Roma pependit,
Atque ipsa Isiaco certarunt fulmina sistro.
Restabant profugo servilia milite bella, |
| 920 | Cum patrios armis imitatus filius hostes
Aequora Pompeius cepit defensa parenti.
Sed satis hoc fatis fuerit; iam bella quiescant,
Atque adamanteis Discordia vincita catenis
Aeternos habeat frenos in carcere clausa. |
| 925 | Sit pater invictus patriae; sit Roma sub illo,
Cumque deum caelo dederit, non quaerat in orbe. |

Mentione igitur facta pugnarum Philippicae atque Actiacae bellique a Sex. Pompeio in piratarum morem conflati ad suam, id quod vel coniunctivi praesentis temporis vs. 922 sq. demonstrant, pedetemptim descendit aetatem. Neque vero ullum invenitur indicium, quo ad Tiberium ducamur. Qui autem versu 913 pater Augustus nominatur, is sine dubio Octavianus Augustus est, qui ideo per patris vestigia viciisse dicitur, quod secundum communem poetarum usum ne Manilius quidem inter campos Pharsalicos et Philippicos distinxisse videtur. Vergilium audi, cuius verba quin ante oculos habuerit Manilius, cum haec scriberet, dubitari nequit:

- Verg. Geo. I 487 Non alias caelo ceciderunt plura sereno
Fulgura, nec diri totiens arsere cometae.
Ergo inter sese paribus concurrere telis

490 Romanas acies iterum videre Philippi;
 Nec fuit indignum superis, bis sanguine nostro
 Emathiam et latos Haemi pinguescere campos

itemque Ovidius Met. XV 823:

Pharsalia sentiet illum,
 Emathiaque iterum madefient caede Philippi

neque aliter Lucanus de Thessalia infelici Phars. VII 853:

Ante novae venient acies, scelerique secundo
 Praestabis nondum siccios hoc sanguine campos.

Itaque ratiocinatione certissima id statuimus, et Caesaris et Augusti nomen a Manilio de uno C. Julio Caesare Octaviano Augusto dictum esse. Quod quam verum sit, evidentissime ex his eius versibus appetet, qui Augusti thema, quod dicunt astrologi, continent:

II 507 Capricornus in ipsum
 Convertit visus. quid enim mirabitur ille
 Maius, in Augusti felix cum fulserit ortum?

Vult igitur poeta Augustum ortum esse sub Capricorno cum Suetonio quidem consentiens, qui Augustum nummum argenteum sideris Capricorni, quo natus esset, percussisse narrat.¹⁾

Per Capricornum autem sol secundum astronomorum et veterum et recentium opinionem mense Decembri²⁾ permeare creditur. Verum tamen idem Suetonius (Aug. 5) memoriae prodidit Augustum natum esse M. Tullio Cicerone C. Antonio coss. VIII Kal. Octob. paulo ante solis exortum. Atqui eo mense in Librae signo sol versatur. Nonne haec vehementissime inter se repugnant? Minime gentium, si quidem Fayus et Anton verum vidiisse putandi sunt.

Solebant enim astrologi et ad τὴν ἐν μητρὶ γένεσιν et ad τὴν ἐμφανῆ γένεσιν in horoscopo instituendo respicere, id quod firmissimis confirmatur testimoniis.³⁾ Secundum hanc igitur rationem Capricorni thema ex ea deductum est hora, qua Augustus conceptu creatus, Librae autem thema eius horae respectu habito conditum est, qua illum partu sese in lucem editum esse astrologis dixerat. Itaque iam non est mirum, si Augustus Capricorni imaginem nescio qua de causa Librae praferens in galea, in nummis, in aliis artificum operibus gestasse narratur.

Iam si et Capricornus et Libra sidera Augusti natalicia audiunt, exspectandum est, non solum in Capricorno, verum etiam in Libra Manilium ad Augusti genituram respexisse. Ac re vera hi versus in hanc opinionem aptissime quadrare videntur:

IV 547 Sed cum autumnales coeperunt surgere Chelae,
 Felix aequato genitus sub pondere Librae!
 Iudex examen sistet vitaeque necisque,

1) Suet. Aug. 94 extr. — Cf. Walch, de nummis Capricorno signatis Romanorum. Progr. Jenae 1750; imprimis autem: Victor Gardthausen, Augustus und seine Zeit vol. II p. 18 sq. Nummos Augusti et Capricorni imaginibus ornatos exhibent Th. Graesse, Handb. d. alten Numismatik tab. XIII nr. 1 et 7 atque Henry Cohen, Description historique des monnaies frappées sous l'empire romain 1880 v. 1² nr. 1. 4. 15—20. 263. 564; cf. nr. 24. 147. 256. 617. 738. 781. 805. 823. — 2) Theodorus Mommsen, Roemische Chronologie p. 62.

3) Vitruv. IX 7 (6), 2 Athenodorus non e nascentia, sed ex conceptione genethliologiae rationes explicatas reliquit. — Claud. Ptolem. Tetrabibl. III, 1. — Censorin. de die nat. VIII 4. — Anton l. l. p. 12.

550 Imponefque iugum terris legesque rogabit.
 Illum urbes et regna trement, nutuque regentur
 Unius, et caeli post terras iura manebunt;

quae mirum in modum cum eis congruunt, quae legis apud Vergilium, qui Scorpium antea immensis suis Chelis duorum siderum spatium explentem Augusto principi in sideribus posito chelis contractis locum deditus fingit, sic Augustum allocutus:

Geo. I 24 Tuque adeo, quem mox quae sint habitura deorum
 Concilia incertum est, urbisne invisere, Caesar,
 26 Terrarumque velis curam . .
 29 An deus immensi venias maris . .
 32 Anne novum tardis sidus te mensibus addas,
 Qua locus Erigonem inter Chelasque sequentis
 Panditur (ipse tibi iam bracchia contrahit ardens
 Scorpium, et caeli iusta plus parte relinquit).

Neque vero de Tiberii sideribus nataliciis, cuius conceptus in Pisces, in Sagittarium genitura incidit, simile quidquam in carmine Maniliano legitur. Namque in ea carminis parte, qua poeta varios mores, studia artesque explicat, quae quodque signum zodiaci nascentibus largiatur, de Sagittario haec dicuntur:

IV 230 At quibus in bifero Centauri corpore sors est
 Nasendi concessa, libet subiungere currus,
 Ardentes et equos ad mollia ducere frena,
 Et totis armenta sequi pascentia campis;
 Quadrupedum omne genus positis domitare magistris,
 235 Exorare tigris, rabiemque auferre leoni,
 Cumque elephante loqui, tantamque aptare loquendo
 Artibus humanis varia ad spectacula molem.
 Quippe ferae mixtum est hominis per sidera corpus
 Impositumque manet, quocirca regnat in illas;
 240 Quodque intenta gerit curvato spicula cornu,
 Et nervos tribuit membris et acumina cordi
 Et celeres motus nec delassabile pectus.

Piscibus autem tribuuntur a poeta nautae, naucleri, gubernatores, remiges, rei nauticae artifices; piscaiores fecundi prole et Veneri nimium indulgentes (IV 273 sq.).

Sed redeamus ad illum primi libri locum (cf. supra p. 16), ubi paullum subsistamus. Ibi quod vs. 916 per pugnam Actiacam rector Olympi in ponto quaesitus esse fertur, ad idem redit adulandi studium, quod poetae condonare debemus, ex quo inter Actiacos sinus orbem terrarum suspensum pependisse et caeli fortunam in ponto natasse dicit (V 52 sq.). Hinc omnibus illis locis lux affulget splendidissima, quibus Augustus quamquam in terra adhuc commoratus modo una cum Jove caelum regens, modo sidus in caelo fixum omnium siderum iubar suo splendore superare fingitur. Huc referto eos versus, quibus poeta meridionalis hemisphaerii astra astris borealibus cedere ulla in re negat, praeterquam quod

I 384

uno vincuntur in astro

Augusto, sidus nostro quod contigit orbi:

Caesar nunc terris, post caelo maximus auctor.

In versu altero omnibus libris manuscriptis *quod* praebentibus Bentleius *qui* scribit, Jacob *quod* retinuit nec tamen explicavit, Kraemer hanc voculam coniunctionis vice fungi ratus signo interpongendi in fine deleto sic interpretatur (p. 32): *uno in astro Augusto vincuntur alieni caeli sidera, quia sidus nostro orbi contigit Caesar Augustus.*⁴ Attamen haud scio an expeditius fluat oratio, si relativum esse illam vocem statuis, ultimum autem versum appositionis instar, quam dicunt grammatici, ad *sidus* nominativum esse additum. Quod si probatur, ratio postulat, ut *Augusto* adiectivi esse formam dicamus, quod idem valeat atque *santus* vel *sublimis*.

Similique ductus cogitatione poeta Augustum in caelo inter gentiles eius a Venere scilicet oriundos caelum regentem videt versibus his:

I 798

Venerisque ab origine proles

Julia descendit caelo caelumque¹⁾ replevit,

800 Quod regit Augustus socio per signa Tonante.

Cernit et in coetu Divum magnumque Quirinum

Altius aetherii quam cendet circulus orbis.

Illa deum sedes, haec illis proxima, divum,

Qui virtute sua similes vestigia tangunt.

Qua in dupli tamquam Caesaris Augusti natura et in terra commorantis et Jove socio orbem terrarum regentis is non offendetur, qui meminerit et Horatii c. III 3, 9 sq.:

Hac arte Pollux et vagus Hercules

Ensis arces attigit igneas,

Quos inter Augustus recumbens

Purpureo bibit ore nectar,

ubi ipsis his locis Manilianis nitus praesens tempus *bibit* verbi Bentleio adstipulans retineo; et versuum illorum notissimorum, quos percommode Lanson (p. 20) huc rettulit:

Nocte pluit tota; redeunt spectacula mane:

Divisum imperium cum Jove Caesar habet.

Re autem vera Augustum Manilio scribente inter vivos fuisse hinc quoque eluet:

I 925 Sit pater invictus patriae; sit Roma sub illo,

Cumque deum caelo dederit, non quaerat in orbe

i. e. Roma ubi primum Augustum vita defunctum caelo reddiderit, ne in terra desideret, quia una cum Jove in posterum res Romanas tuebitur. Et vivus Augustus etiam hic creditur:

IV 933 Ne dubites homini divinos credere visus.

Jam facit ipse deos mittitque ad sidera numen;

Maius et Augusto crescat sub principe caelum,

quorum versuum duos priores de populo Romano velim intellegas, qui Augusto vivo sicuti antea maiori eius avunculo omnes divinos honores decrevit.

1) Robinson Ellis, Some emendations of Manilius, in Classical Review vol. IV 1890 p. 193 sq. vult scribi *solumque replevit*, id quod et conexus verborum et usus Romanorum dissuadet.

Hi igitur loci omnes eo nos ducunt, ut Manilium sub Augusto astronomica sua condidisse arbitremur. Atque idem probabis, si Manilius opus cum Germanici Arateis contuleris, quae Rudolfo Merkleio¹⁾ et Hermanno Petero²⁾ testibus non multo post Augusti obitum edita sunt. Compluribus enim locis Manilius non aliorum poetarum se insistere vestigiis, sed novam eamque reconditam materiam sese primum Romanorum versibus tractare iactatur:

- I 1 Carmine divinas artes et conscientia fati
 Sidera diversos hominum variantia casus,
 Caelestis rationis opus, deducere mundo
 Adgredior primusque novis Helicona movere
 5 Cantibus et viridi nutantes vertice silvas,
 Hospita sacra ferens nulli memorata priorum.
 ib. 113 Hoc mihi surgit opus non ullis ante sacratum
 Carminibus;³⁾

praeterea cf. II 136 sq. et III 1 sq. imprimis autem:

- II 50 Omnis ad accessus Heliconis semita trita est,
 Et iam confusi manant de fontibus amnes,
 Nec capiunt haustum turbamque ad nota ruentem.
 Integra quaeramus rorantis prata per herbas
 Undamque occultis meditantem murmur in antris,
 55 Quam neque durato gustarint ore volucres,
 Ipse nec aetherio Phoebus libaverit igni.
 Nostra loquar. nulli vatum debebimus ora;
 Nec furtum, sed opus veniet, soloque volamus
 In caelum curru, propria rate pellimus undas.

Atqui talia poetam de se praedicaturum fuisse non est credibile, si etiamtunc Augusti nepos Arateorum *Phaenomenon* versionem Latinam in lucem edidisset.

Priusquam autem disserendi finem faciam, hoc unum addere licet, Manilius carmen imperfectum ad nostra tempora pervenisse, sive poeta casu quodam, ne opus perficeret, impeditus est, sive temporum iniquitas finem libri quinti una cum ea parte, qua et de siderum occidentium vi et de planetis dicendum erat (V 28⁴⁾ II 958 sq., III 587 sq.), nobis abripuit.

Astronomicorum igitur poeta, ut quae investigando nostro nos iure statuisse censeamus quam paucissimis complectamur, homo Romanus fuit, vero quidem nomine M. Manilius dictus, qui carmen suum, quod quidem manibus teneamus, sub Augusto post cladem Varianam et incohavit et perfecit Tiberio in regni successionem iam adoptato. Quod tamen opus per decem fere saecula in occulto adeo latuit, ut nec poeta ipse nec carmen ab ullo aequalium posteriorum scriptorum commemoratum sit.

Inde a Gerberti autem aetate astronomicorum libros ab oblivione immerita vindicatos maiore cum studio et legi et scribi coeptos esse libri manuscripti illorum ac proxime insequentium temporum comprobant.

1) Rudolfus Merkle 1. 1.

2) P. Ovidii Nasonis *Fastorum* libri VI ed. Hermannus Peter 1879 p. 12 n. 2.

3) Ex addita *carminibus* voce patet Manilio Romanorum libros ad artem astronomicam spectantes pedestri quidem oratione conscriptos haud ignotos fuisse; quae contra Bentleium monemus cf. supra p. 7.

4) Cf. libelli nostri supra laudati p. 17 sq.